

Version latine n°3 : comment se faire désirer

Une maîtresse impitoyable, des tourments cruels, une langueur permanente : voilà de quoi pimenter une relation !

Nil ego, quod nullo tempore laedat, amo.
Viderat hoc in me uitium uersuta Corinna,
 queaque capi possem, callida norat opem.
A, quotiens sani capitis mentita dolores
 cunctantem tardo iussit abire pede !
A, quotiens finxit culpam, quantumque licebat
 insonti, speciem praebuit esse nocens !
Sic ubi nexarat tepidosque refouerat ignis,
 rursus erat uotis comis et apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia uerba parabat !
 Oscula, di magni, qualia quotque dabat !
Tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos,
 saepe time insidias, saepe rogata nega
et sine me ante tuos proiectum in limine postis
 longa pruinosa frigora nocte pati.
Sic mihi durat amor longosque adolescit in annos ;
 hoc iuuat, haec animi sunt alimenta mei.
Pinguis amor nimiumque patens in taedia nobis
 uertitur et, stomacho dulcis ut esca, nocet.
Si numquam Danaen habuisset aenea turris,
 non esset Danae de Ioue facta parens ;
dum seruat Iuno mutatam cornibus Io,
 facta est, quam fuerat, gratior illa Ioui.
Quod licet et facile est quisquis cupit, arbore frondis
 carpat et e magno flumine potet aquam !
Siqua uolet regnare diu, deludat amantem !

Ovide